Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Amando

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

illustrata decore que inter tormenta aperta cunctis prelata miraculis et multo pollens suffragio apostoli nutrix visitatione iuvatur. Sic nuptam Christo suscipiunt ethera. sic humandi artus gloriosa fulgent obsequia. ubi angelorum chorus sanctitatem mentis et patrie indicant liberationem. De sancto vedasto

Vedastus dicitur quasi vere dans estus. quia vere dedit sibi estus afflictionis et penitentie. Vel vedastus dicitur quasi ve distans. quia ve eternum ab eo distat. quod dampnatis dicetur. ve. l. quia dum offendi. ve quod dyabolo consensi. ve quod natus fui. ve quod mori non volo. ve quod male torqueor. ve quod numquam liberabor.

Vedastus a beato De sancto nomine Remigio in attrabatensem episcopum ordinatus fuit. Qui cum ad portam civitatis venisset et ibidem duos pauperes unum cecum et alium claudum petentes elemosinam invenisset dixit eis argentum et aurum non est mihi. quod autem habeo hoc vobis do. et facta oratione utrosque sanavit. ¶ Cum autem ursus quandam ecclesiam desertam oppida super habitaret eidem precepit ut inde fugeret nec ultra illic redire auderet. Quod et factum est. Denique cum verbo et opere multos convertisset. xl. anno sui episcopatus vidit columpnam igneam a celo usque in domum suam descendentem. Qui finem suum adesse considerans. post modicum in pace quievit circa annos domini. dc. Cum autem corpus eius transferretur. audomarus presul senio cecus dolens quod corpus sanctum videre non poterat. mox lumen recepit. sed postmodum ad votum suum lumen

Amandus dicitur. De sancto amando ¶ amisit quasi amabilis fuit. habet enim tria in se que faciunt hominem amabilem. Primum est grata socialitas. proverbiorum. xix. Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam frater. Secundum est conversationis honestas et sic dicitur de hester. ii. quod omnium oculis amabilis videbatur. Tertium est probitatis virtuositas. ii. Regum. i. Saul et ionathas amabiles et decori valde et cetera. De sancto amando

Amandus ex nobilibus parentibus ortus monasterium intravit. Qui dum per monasterium ambularet quendam maximum serpentem invenit. quem signo crucis et oratione ad foveam numquam inde exiturum coegit. Veniens autem ad sepulchrum beati martini. annis. xv. mansit cilicio indutus et aqua et pane ordeaceo sustentatus. ¶ Postea romam ivit et in ecclesia sancti petri pernoctare cupiens custos eum ipsum irreverenter foras eiecit. Qui dum ad admonitionem sancti petri quem ante fores ecclesie dormienti apparuit ad gallias ivisset et ibidem regem dagobertum pro eius criminibus increparet. ille rex eum de suo regno eiecit. Denique cum rex filium non haberet et oratione facta ad dominum filium habuisset. cogitare cepit a quo in fonte suum faceret baptizari. Veniensque in mentem eius quod ab amando eum baptizari faceret. Quesito igitur amando et ad regem adducto. rex ad eius pedes prosternit rogans ut sibi iniuriam indulgeret et filium suum quem sibi dominus dederat baptizaret. Ille vero primam petitionem concessit. sed secularibus negotiis implicari metuens secundam renuit et abscessit. Tandem victus precibus annuit voto regis. Qui cum baptizaret tacentibus cunctis infans respondit Amen. Post hoc rex ipsum in traiectensem episcopum sublimavit. Verum cum a pluribus quod predicationi contempni videret in vasconiam venit. Ubi cum quidam scurrilator ipsum eum irrideret. a demone arripitur. et propriis manibus se discerpens confessus ut

di iniuriam faceret contristatus et statim miserabi-
liter moritur. ¶ Cum autem quadam uice manus
sibi lavaret, quidam episcopus aquam illam servari
fecit, de qua quidam cecus postmodum curatus
fuit. ¶ Cum in quodam loco devolutiore
regis monasterium construere vellet, quidam
episcopus prime civitatis moleste hoc susti-
nens, iussit famulos suos ut aut ipsum
eicerent aut eum occiderent. Qui venientes
dolose dixerunt ut secum pergeret et sibi
aptum locum ad monasterium ostenderent.
Ille autem maliciam eorum precognoscens
usque ad cacumen montis ubi eum occidere
cupiebant cum eis ivit, eo quod nullatenus martirium
affectaret. Sed ecce tanta pluvia et
tempestas irruit montem tegens ut se mutuo
videre non possent, et se mori iam putantes, pro-
strati veniam postulabant et ut eos vi-
vos abire permitteret exorabant. Qui ora-
tionem effudit et serenitatem maximam impe-
travit. Illi igitur ad propria redierunt, et sanctus Aman-
dus evadens et multa alia miracula
faciens in pace quievit. Circa annum do-
mini .dc.xx. tempore Eraclii. De sancto valentino

Valentinus quasi valorem tenens, hoc est
in sanctitate perseverans. Vel dicitur vale-
ntinus quasi valens tyro, id est miles Christi-
anus. Dicitur valens qui nunquam cedit, forti-
ter ferit, se valenter defendit, poten-
ter vincit. Sic valentinus non cessit marti-
rium vitando, percussit ydolatriam eva-
cuando, defendit fidem confirmando et vi-
cit paciendo. De sancto [illegible]

Valentinus venerandus presbiter fuit quem Clau-
dius imperator ad se adduci faciens
interrogavit dicens: Quid est Valentine?
Cur amicicia nostra non frueris, ut deos
nostros adorans superstitionum tue [illegible]
vanitatis. Cui Valentinus: Si gratiam dei
scires nunquam ista diceres, sed ab ydolis animum
revocares et deum qui in celis est adorares.
Tunc quidam qui Claudio astabat dixit:
Quid vis dicere Valentine de sanctitate deo-
rum nostrorum? Cui Valentinus: Ego de eis nil
dico nisi quia fuerunt homines miseri et omni in-
mundicia pleni. Ad quem Claudius: Si Christus
verus deus est, cur non dicis quod verum est? Cui Va-
lentinus: Revera Christus solus deus est, in quem si credideris
anima tua salvabitur, res publica augebi-
tur, inimicorum tuorum victoria tibi concedetur.
Dixit Claudius astantibus: Audite
Romani, audite quam sapienter et recte
loquitur homo iste. Quomodo deseremus quod ab infancia
nostra tenuimus? Et tunc cor Claudii inmuta-
tum est. Tradidit autem eum cuidam principi custodi-
endum. Cum in domum suam ductus fuisset, ait: Domine
Ihesu Christe qui es verum lumen, illumina do-
mum istam ut te deum verum cognoscant.
Cui prefectus: Miror te dicentem quod Christus est
lumen. Equidem si filiam meam cecam illumina-
veris faciam quecumque precepis. Tunc Vale-
ntinus orans eius filiam cecam illuminavit et omnes
de domo sua convertit. Tunc imperator
Valentinum decollari precepit circa an-
num domini .cc.lxxx. De sancta Iuliana de nomine

Iuliana dum Eulogio prefecto Nycho-
medie desponsata esset et nollet sibi
aliquatenus copulari nisi reciperet fidem Christi,
iussit eam pater suus expoliari et gravis-
sime cedi ac ipso prefecto tradi. Cui pre-
fectus ait: Dulcissima mea Iuliana, cur
me ita delusisti ut me sic respueres?
Cui illa: Si tu adoraveris deum meum ac-
quiescam tibi, alioquin nunquam dominus meus eris.
Cui prefectus: Domina mea, hoc facere non possum,
quia imperator amputabit caput meum. Cui
Iuliana: Si tu ita times imperatorem mor-
talem, quomodo vis ut ego imperatorem non timeam im-
mortalem? Fac quicquid vis, quia me de-
cipere non valebis. Tunc prefectus iussit eam